

*Experimenta.*

1. Monstratur constructio præstantissimæ illius machinæ nempe pneumaticæ antliæ, & explicatur quomodo extractio aeris ex vitris contingat, & cur postea ipsa firmissime cum disco antliæ orificio imposita cohæreant, ut non sine metu disruptionis possint amoveri, paucò autem aere admissò ipsa cohæsiò mox cesset.

2. Monstratur, qua ratione bonæ antliæ examen sit instituendum vel etiam siphonum; si enim hæc instrumenta non recte & accurate elaborata fuerint, experimenta non feliciter succedunt.

3. Aqua tubulo vitreo inclusa etiam fortissima suctione sive per os sive mediante antlia non petit superiora, simul ac autem accessus detur aeri per minimum foramen in inferiori tubuli regione, protinus aqua rursus fertur in os sugentis.

4. Argentum vivum etiam vehementissima suctione non potest attrahi per tubum ultra pedis magnitudinem, neque per antliam ultra 29. pollices, cum tamen si suctione esset adæquata attractionis causa, ultra etiam deberet fieri motus.

5. Explicationem meretur, cur calefactum vitrum v. g. cucurbita adhæreat cuti humanæ, item poculum argenteum calefactum mortario quod corio obductum est, ita nempe, ut hoc ipsum magni ponderis in altum cum poculo tolli possit. Mentio etiam fit quomodo respiratio in corpore nostro peragatur; quomodo suctione tabaci ex fistula fiat, & infantes lac sugant e mammis.

6. Mediante tubo inverso sive siphone bicrurali aqua ex vitro per suctionem commode extrahi potest; quod si autem vas aqua repletum in vacuum ponatur, suctione etiam maxima adhibita nihil effluet, ita enim in siphone embolo